

**S. S. Triade. Fortunante et praesidente, Lithologia, decreto et authoritate magnifici, nobilissimi, gratiosissimi Collegii Medici, Universitatis Argentinensis pro honoribus et privilegiis doctoralibus in arte medica impetrandis / solenni censurae exposita à Johanne Daniele Widt, Argentinensi. Mense. [blank] Febr.**

## **Contributors**

Widt, Johann Daniel, active 1660-1663.  
Université de Strasbourg.

## **Publication/Creation**

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, Anno M. DC. LXIII. [1663]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/k6uxpybg>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

S. S.  
TRIADE.  
FORTUNANTE  
ET  
PRÆSIDENTE,

ΛΙΘΟΛΟΓΙΑ,  
DECRETO ET AUTHORITATE  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, GRA-  
TIOSISSMI  
COLLEGII MEDICI,  
UNIVERSITATIS ARGENTINENSIS.  
PRO  
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS  
IN ARTE MEDICA  
IMPETRANDIS  
SOLENNI CENSURÆ  
EXPOSITA

JOHANNE DANIELE WIDT,  
ARGENTINENSI.

Mense. Febr.



ARGENTORATI  
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. LXIII.

*SERENISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO,  
MARCHIONI BADENSI  
ET HOCHBERGENSI, LANDGRA-  
VIO SAUSENBERGENSI, COMITI  
SPANHEIMENSI ET EBERSTEINENSI,  
DOMINO IN RÖTELN, BADEN-  
WEILER, LAHR ET  
MAHLBERG &c.  
PRINCIPI AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO.*

## THESIS I.

**N**on confesso est apud omnes, eam corporis humani ægritudinem, quæ Calculi nomine venit, non modò omni terrarum loco communissimam frequentissimamque esse, laborantes diù sæpè & crudeliter exercere; sed & ægrè interdum curationem admittere; imò tot tantisque difficultatum involucris esse implicitam, ut de illius materia & effidente causa, magna semper inter doctos, agitata fuerit controversia.

## II.

Itaque operæ pretium me facturum existimavi, si pro Dissertatione Inaugurali è fertilissimo Medicinæ campo hanc potissimum, quam de Calculo Renali materiam inscripsi, thesibus inclusam, breviter Philiatrorum subjicerem examini.

## III.

Ut autem eò melius clariusque ejus natura innotescat, lubet de calculi Nominibus. Quidditate & essentia, Genere, Differentiis, Subiecto, Causis, Materiali pariter & Efficiente, Signis tūm Diagnosticis, tūm Prognosticis; denique Curandi ratione quædam proferre in apertum.

## IV.

Nomen quod spectat, variis is, tam apud Græcos, quam Latinos, appellationibus exprimitur.

## V.

Græcis enim λιθίασις dicitur, ἀπὸ τῆς λίθου, à lapi-de. Unde qui illo laborant λιθανικοὶ καὶ λιθιῶντες nuncupantur. Vocatur & νεφρίτης ἀπὸ τῶν νεφρῶν à renibus, tanquam parte affectâ: quanquam accuratius nonnulli hanc vocem considerantes, in primis verò Galen. l. 2. de comp. med. secund. loc. c. i. discrimen quoddam inter νεφρίτην constituant, & per hanc non modò calculum Renalem intelligent, sed & in genere quaslibet Renum ægritudines; vel specialius Renum inflammationem: imò nonnunquam illum dolorem, qui calculum in Renibus existentem comitari solet.

## VI.

Latinis calculus seu lapis Renum dicitur: aliâs vitium calculosum, passio calculosa & lapidosa dispositio, calicularisque morbus. Unde & Germani suo idiomate illum den Nieren oder Lendenstein/Item das Gries oder Grün appellant.

## VII.

Est autem Calculi varia & multiplex significatio, quæ, antequam ad alia fiat progressus, prius explicanda.

## VIII.

Sumitur enim primò, ut Sperlingio in Institut. Phys. placet, pro minerali quodam crasso, duro, ignobili; ex succo lapidescente & spiritu lapidifico genito.

## IX.

*Deinde pro sententiâ & judicio.* Sicut enim variæ apud Veteres ferendæ erant sententiæ, ita quoque varij erant adhibendi calculi, è quibus nigri damnationis albi vero absolutionis erant indices, de quibus *Ovidius L. 15. Metamorphos.* cecinisse videtur, inquiens:

*Mos fuit antiquis niveis atrisq; lapillis  
His damnare reos, illis absolvere culpa.*

*Et Persius Satyr. 5.*

*Quaque sequenda forent, & quæ vitanda viciissim,  
Illa prius cretâ, mox hæc carbone notaſti.*

## X.

*Tertio accipitur pro rudimentis artium & scientiarum.* Unde puer literis elementariis & calculo imbutus dicitur: & informatores, qui literas illas docent, calculones aut cauculones dicebantur, juxta vetus illud *Epigramma.*

*Docendum suscepit cauculo pubem.*

## XI.

*Quartò sonat Latrunculum, quo veteres utebantur in alea.* Erant hi calculi siti in locis, qui *Mandra* ut & *Capsi* appellabantur. Unde *Vetus Epigramma.*

*Discolor ancipiit sub iactu calculus adstat,  
Decertantque simul candidus atque rubens.*

*Et quamvis parili scriptorum tramite currant,  
Is capiet palmam, quem bona fata juvant,*

## XII.

*Quintò lapillum, Græcè λιθίδιον, indigitat, sic dictum, vel quod calcantibus sit molestus, vel quod inter eundum offendat.* Hinc *Plinius l. 15. c. 14. calculosum*

solum id vocat, quod saxosum est, & glareosum. Et Cicero l. 1. de Orat. circa finem inquit, *Demosthenem* conjectis in os calculis summâ voce versùs multos uno pronunciasse spiritu.

## XIII.

*Denique* pro rationibus accipitur. Prisci enim calculis, seu minutis lapillis, quos in manu tenebant, numeros componebant. Unde Calculator, qui Græcis est λογιστής ἢ ψηφιστής: calculare, h. e. rationes facere: calcularius error, qui in supputando committitur & apud Ciceronem revocare seu reducere ad calculum, id est exactius aliquid supputare.

## XIV.

Verum ex hisce significationibus nulla nostri est instituti; Illa hujus loci propria est, quâ Calculus accipitur pro solidâ quadam duraque substantiâ, ex peculiari materia in renibus genita.

## XV.

Hinc definitur, quod corpus sit durum, siccum atque terrenum, ex materiâ, vel sabulosâ, vel aliâ quadam, crassâ scil. limosâ & fæculentâ in Renibus, à calore illorum nunc remissiore, nunc intensiore genitum, varia pro partium conditione, quibus renes affinitate quadam gaudent, morborum symptomatumque genera introducens.

## XVI.

Cæterum cùm Galenus lib. 14. meth. med. c. 19. calculos toto genere præter naturam esse dicat: tres autem testante eodem Authore sint affectus præter naturam: Morbus nimirum: Causa morbifica: & Symptomata: haud immerito quæritur, sub quoniam affectu præter naturam comprehendantur?

## XVII.

## XVII.

Ad hoc quæsitum respondet *Galenus l. de differ. morb. c. 18.* Et Calculos morbos in numero præter naturam aucto statuit.

## XVIII.

Morbos enim in numero facit duplices: alios in numero excedente: cum adest, quod naturaliter abesse debbat: alios in numero deficiente, cum deest, quod debbat adesse. Rursus illos, qui sunt in numero excedente, subdividit. Etenim quod redundat aut est ex alterum naturalium, ut sextus digitus: polypus, aut alia quævis carnosa excrescentia: aut est ex genere eorum, quæ toto genere præter naturam existunt. Atque huc vermes, harpas, erucas, lacertos, calculos &c. refert.

## XIX.

*Galeni* vestigijs insistunt multi, ejusque sententiam amplectuntur, qui de calculo aliquid literarum monumentis consignârunt.

## XX.

Doctissimus tamen *Hieronymus Capivacceus* distinguere videtur inter calculum, & calculosum vitium: illum enim causam: hoc verò morbum & in numero excedente, & in meatibus, denique soluta unitate esse perhibet.

## XXI.

Ego, ut quid de hac re sit sentiendum, proferam in apertum, *Galeni* ut & *Capivaccei* sententiæ subscribendum minimè censeo, nisi ludere libeat vocabulo morbi.

## XXII.

Etenim omnis morbus attestante *Galen l. de differ. morb. cap. 2.* diabētis est, & consequenter qualitas quædam

dam, & accidens. At verò calculi substantiæ sunt, nequaquam accidentia. Non ergò morbi.

## XXIII.

*Deinde* omnis morbus ita inhæret partibus, ut sine ijs vim subsistendi nullam habeat. At Calculi etiam sine partibus corporis humani subsistere valent. E. morborum sibi nomen vendicare haud possunt.

## XXIV.

*Tertiò* morbi tantùm sunt in corpore vivo, quia actiones ejus lädere dicuntur, quæ solis tribuuntur viventibus particulis. At calculos & in demortuis corporibus reperiri experientia & *avtographia* confirmant. Proinde morbi non sunt: aut si sunt, morbi definitio vel iis non competit, quod est absurdum, vel suo erit definitio angustior: quod est contra receptam doctorum sententiam.

## XXV.

*Quartò*, omnis morbus aut est *νοσώδης δυσκρατία*, morbosa intemperies, aut mala compositio, aut unitatis solutio. At calculi intemperies non sunt; sic enim forent qualitates, quod falsum: neque continui solutiones per se, formaliter & in suâ naturâ considerati; neque malæ, compositiones: quia vitia existerent vel in conformatione: vel in magnitudine: vel in situ & connexione: vel denique in numero. At non in tribus prioribus constitutionibus, quemadmodum omnibus est notissimum. Neque in numero: quoniam tūm demum morbus in numero adesse dicitur, cùm pars vel abundant, vel deficit. Morbi enim solis partibus viventibus tribuuntur. Sed Calculi partes corporis non sunt. Ergò neque morbi.

## XXVI.

## XXVI.

Concludendum itaque calculos causas morborum & symptomatum esse : nequaquam morbos. Renes quippe obstruunt, continuum eorum solvunt, ventriculi subversionem ingentem quandoque, ut & crurum stuporem, lumborum dolorem, vigilias, inediam vi- riumque prostrationem haud levem excitant,

## XXVII.

Porro *differentiae Calculi Renalis* variæ sunt atque multiplices. Desumi autem omnes possunt à materiâ ; consistentiâ : quantitate utraque continuâ & discretâ ; colore : figurâ : loco sive situ : occasione generationis : modo solutionis.

## XXVIII.

Ratione *materiae ex quâ*, calculi alij generantur ex crassâ, lentâ viscidaque materiâ, alii verò ex tartarcâ, salinâ aut aliâ huic persimili trahunt originem.

## XXIX.

Ratione *consistentiæ*, calculi alii sunt molles, alii vero duri & solidi. Licet etiam videre qui friabiles existunt, ita ut manibsteri omnino possint.

## XXX.

Ratione *quantitatis continuae* & quidem magnitudinis calculi vel magni sunt, vel mediocres, alij vero parvi. Sunt & alij crassi, alij contra tenuiores.

## XXXI.

Ratione *quantitatis discrete* interdum unicus non nunquam plures apparent.

## XXXII.

Ratione *coloris* alius rubet si sanguini sit commixtus : alius flavescit, si bilis ; quidam livet, si melanco-

lia , alius denique albicat , quemadmodum in pueris  
videre est , si pituita plurimum abundaverit.

### XXXIII.

Ratione *figuræ* quam repræsentant calculus alius  
asper est & salebrosus , quidam lævis : Adhæc alius per-  
foratus vel non perforatus , rotundus , oblongus , acu-  
tus , angulosus , vel ramosus existit.

### XXXIV.

Ratione *loci* *five situs* alius in utroque vel alteru-  
tro tantum Rene consistit , qui mitior plerumque &  
minor , magisque declivis ad rubedinem : alius in ve-  
sicâ hæret , qui durior & major de vergens magis ad pul-  
verulentiam vel fuscedinem ut *Avicennæ* verbis utar ,  
alius quoque Renum substantiæ vel hæret impactus , aut  
ejus cavitatibus .

### XXXV.

Ratione *occasionsis generationis* calculus alius hære-  
ditarius est , ex consimili Parentum dispositione in so-  
bole derivatus : alius vero acquisitius est & adventi-  
tius , qui nobis jam in lucem editis , vel culpâ & vicio  
alimentorum , vel aliâ quadam de causâ internâ gene-  
ratur .

### XXXVI.

Denique *ratione modi solutionis* , alius remedij  
convenienter adhibitis adhuc cedit , cuius generis est ,  
qui non tam altas egit in corpore radices : alius vero  
vim & salubritatem adhibitorum remediorum asper-  
natur , maximè vero in senibus , utpote in quibus *ex Di-*  
*vini Senis Hippocratis* sententiâ *aphor. 6. sect. 6.* Renum  
& vesicæ vicia difficulter curantur .

### XXXVII.

## (II.)

*Subiectum* sive sedes in quo calculi generantur Rennes sunt, modo unus solum, interdum vero utrique simul, id quod tum ex situ doloris, tum laesa illorum functione maximè innotescit.

## XXXVIII.

Verum cum, ut Anatome docet, variæ sint partes Renum compleentes substantiam, gemini videlicet sinus, caro propria, quæ parenchymatica vocatur, fistulae item Renum, carunculæ tenuissimè perforatae: membranæ eaque geminæ, quarum altera exterior, copiosissimo adipe perfusa, altera interior & immediatum Renum involucrum, vasorum emulgentium propagines, denique glandulæ superiori extetioris membranæ parti ad natæ, quæri hic posset in quanam harum partium calculi generationis suæ habeant primordium?

## XXXIX.

Ad hoc quæsumus respondetur varias diversorum Authorum hac de re esse sententias, & tot ferè sensus quot capita.

## XL.

Quidam enim calculos in Renum substantiâ Parenchymaticâ generari asserunt. Horum sententiae subscribit Fernelius qui *libr. 6. de part. morb. & symptomat. cap. 12.* de Calculi generatione differens, inquit arenulas non in interiore carne sed in propriâ Renum substantiâ provenire, renisque colorem retinere. illinc fluentis urinæ impetu raptas ferræ in cavum, prolabique in vesicam per ureteres & urinam reddere arenosam: atque si curatio negligatur temporis progressu illas crassescere, vel mutuo ad hæsu inter se colligatas calculum coag-

mentare atque componere. Hunc dein è Renis substantiâ exturbari in cavum, quumque evellitur, Renis partem cui adhærescebat, sine sensu doloris divelletem & quasi dilacerantem, saniem prolicere, quæ unâ cum urinâ profundatur, eamque crassam reddat, turbidam & subnigram.

## XL I.

Nonnullis creditum est, formati calculos in cavitatibus Renum, maximè verò in colatoriis Renum, papillis mamillarum similibus, tenuissimèque perforatis.

## XL II.

Sunt, qui persuasum habent, in utraque parte, carne nimirum, & cavitatibus Renum produci lapides posse.

## XL III.

*Felix Platerus tract. 2. prax. cap. 12.* testatum facit se membranæ Renum adiposæ calculum adnatum repetisse.

## LX IV.

Ego, ut quid hac de controversiâ statuendum sit, ingenuè edisseram, arbitror (salvo tamen rectius sententium iudicio) in nullâ certâ Renum sede procreari Calculos, sed modò in hac, modò in illâ, imò etiam aliquando in Rene toto.

## XL V.

Probatur hoc partim *ratione*, quoniam in omnibus suprà commemoratis Renum partibus hæret & Efficiens causa, & Materialis, quidni ergo & effectus calculus ipse! partim verò *avrophiæ* & Authoritate præstansimorum quorundam Medicorum, qui, ut *Schenckius* habet

habet suis in observationibus Lib. 3. de part. natur. prior. sect. observat. 212. & in canaliculis vasorum urinariorum, & in totâ Renis substantiâ, & in ejus ductibus calculos fuisse inventos memoriæ prodiderunt, quibus certè, ut Viris fide dignis, fides quoque habenda.

## XLVI.

Nec obstat hic delationis serosi humoris ad vesicam impossibilitas, quam fieri debere omnino necesse esset, si, ut nonnulli existimant, in sinibus, vasis & colatoriis Renum calculi generarentur, propterea, quod ductibus illis obstructis, nulla urinæ è Renibus amplius pateret transitus. Isti enim meatus aut non prorsus obturantur, sed aliquod adhuc spatiolum relinquunt inane, ut tenuè quod est permeare possit. Huc accedit quod non semper omnia in Renibus & vasa in cavitates simul obstruantur, sed quædam maneant apertæ, per quas serum per ureteres descendere queat ad vesicam. Adde quod nec Calculus semper tantæ sit Magnitudinis, neque etiam perpetuò in omnibus subjectis tanta calciolorum copia coacervetur, ut totam Renum occupet substantiam, imò nec ambo Renes semper simul laborent. Sufficit per illum Renem transire urinam, qui liber est & expeditus, & cuius cavitates vel à calculo vel ab arenulis non sint ita infarctæ, ut delationi serosi humoris ad vesicam viam valeant præcludere.

## XLVII.

Quod si rogetur, quomodo calculi illi cum urinâ exturbentur, qui in carne Renum Parenchymaticâ, quæ solida est duriuscula atque compacta, ita, ut nihil neque fabuli neque calciolorum per illam transire possit

videntur esse geniti? Respondetur mirabili id quodam Naturæ fieri artificio. Licet enim in Renum Parenchymate non conspiciantur ductus manifesti, adsunt tamen in ea ipsi Naturæ cogniti, nobis planè imperscrutabiles, & totum nostrum corpus ita comparatum est, ut in eo, quemadmodum Divinus Senex *Hippocrat.* in libell. περὶ τροφῆς memoriae prodidit sint σύμπτωσις μία, σύρροσις μία, καὶ συμπάθεια πάντα. Conspiratio sit una, cōfluxio una, & consentientia omnia. Quare per cœcos angustosque Renum meatus calculos adjuvante facultatis expultricis robore exturbari credendum, tanto quidem expeditius, quanto calculi minores extiterint, minusque solidi, sed potius friabiles, præsertim in illis quibus meatus Renum sunt laxiores patentioresque, tanto verò difficilius, quo majores fuerint, duriores, nec nisi vi, acerbissimoque cum cruciatu, ventriculi subversione, mictionibus cruentis, purulentis aliisque symptomatibus exitum paraverint.

## XLVIII.

Sed de *Subjecto* calculi satis. Nunc ad causas quæ duplices existunt, *Materialis* quippe & *Efficiens*.

## XLIX.

Materia Lapidum in Renibus generandorum quænam sit, & priscis sæculis disputatum fuit acriter, & etiamnum in Medicorum Scholis disceptari solet acer-  
timè.

## L.

*Galenus lib. de aff. Ren. dignot. & medicat. cap. 2. Hippocr. l. 4. de morb. & Eorum imitatione complures alij de Calculi materia differentes, inquiunt eam esse materiam quandam crassam, lentam, viscidam & glutinosam, tamque*

semque vel immediate ex simili substantia alimento nimirum procreatam, vel mediatam & remotam è qua interventu arenularum à glutine illo viscoso compactarum unum ejusmodi corpus lapideum coagmentetur.

## LI.

Subdit tamen idem *Galenus loco citato* posse & sanguinem crassiorcm & vel ad humorem pituitosum, biliosum aut melancholicum mutatum calculi existere materiam, quando videlicet per venas & arterias ad Renum cavitatem aut substantiam delatus, in ea adstringitur, detentusque præter naturam incalescit, qui postea densatur, agglutinatur, assatur, assatusque in lapidem convertitur.

## LII.

Ab hac autem Veterum sententiâ diversam planè fovet opinionem *Platerus tract. 2. sue Praxeos cap. 12.* Hic quippe materiam crassam glutinosamque prorsus rejicit, propterea, quod ejusmodi phlegma in mucum potius degeneret, quam in lapidem solidiorem; & ijs in locis calculi generarentur in quibus pituitæ abundat copia; sed materiam statuit terrenam quandam substantiam, in fero latitatem quam recentiores aliqui tartaream nominare consueverunt.

## LIII.

Hoc verò suum placitum tūm exemplo urinæ confirmat, ex quâ sabulosam quandam elici substantiam posse dicit, tūm exemplo rerum externarum, maximè verò vini. Quemadmodum enim tartarea ejus substantia, à priori portione sequestrata in principio mollis, temporis autem progressu in lapideum conversa corpus doliorum parietibus agglutinatur, Tartarique nomine

in signitur. Ita sero & urinæ insitam esse Tartaream substantiam perhibet, quæ crassa sit atque terrena quæque in Renum angustiis detenta lapidescat, & novo semper affluente sero, novumque secum adducente Tartaro, capiat incrementum.

## LIV.

Inter tot autem dissentientium Authorum opinio-nes quid decernendum sit, videtur sanè, neque Veterum prorsus repudiandum esse hac in re dogma, neque recentiorum simpliciter amplectendam sententiam, sed mediâ incedendum viâ. Una namque eademque calculorum esse materia non potest, id quod tûm ex colore, tûm consistentiâ quæ non eadem semper existit tûm ex locorum in quibus generantur, diversitate satis superque liquet. Potest quidem una in genere, crassa nimirum & terrena substantia; varia verò in spe-cie, sanguinea scilicet, melancholica, biliosa, phleg-matica & tartarea, sed tantùm secundum crassiores, ter-renasque humorum istorum portiones, quemadmo-dum id ex Calculorum, tûm consistentiâ, tûm acciden-tibus alijs probari potest facile.

## LV.

Quod verò Veterum sententia, qui crassam visco-sam glutinosamque materiam illam esse dixerunt, ex qua calcoli generentur, rejicienda omnino non sit, ex-inde planum fieri potest: 1. quoniam senes, utpote in quibus ob temperamenti frigiditatem humor pitito-sus ex uperat, renali calculo maximè infestentur. 2. quod omnia illa, quæ crudos, crassos, viscosos glutinosos-que humores procreant, sive sint alimenta, sive potu-lenta, uberrimam calculis proseminandis segetem sub-ministrent. Quod etiam Neotericorum opinioni, sit sub-

Subscribendum, qui Tartarea m istam substantiam sero & utinæ insitam, omnium in universum calculatorum statuerunt esse materiam, est, quod negandum. Falsitatem enim hujus assertionis ob oculos ponit & substantiam calculatorum, quæ nonnunquam viscida est glutinosa, adeò ut etiam in aquâ dissoluti, viscositatem suam evidentissimè prodant; & color corundem, qui varius & multiplex: argumento sanè, eos ab unico humore non posse proficisci: denique locorum in quibus generantur diversitas, cùm compertum sit & in alijs corporis partibus, *Cerebro* nimirum, *Pulmonibus*, *Iecore*, *Vesicula fellea*, *Liene*, *Intestinis*, &c. calculos similis consistentiæ & soliditatis fuisse genitos. Num autem ex Tartaro serum comitante? Minimè gentium; sed uti non omnes, ut ostensum, ejusdem sunt substantiæ, nec omnes iisdem prædicti qualitatibus; ita quoq; nec omnium in universum Tartarea esse potest materia.

## LVI.

Sed missa Causa MATERIALI, rectâ nunc progedior ad causam EFFICIENTEM, quæ vel Externa, vel Internâ.

## LVII.

Externa rursus subdividitur. Est enim vel *disponens*, efficiensque ut calculi in Renibus faciliùs concrescant: Vel est *materiam Calculo subministrans*.

## LVIII.

Illa exalbo est eorum, quæ Renes potenter siceant & inflammant, cuius generis sunt cibi salsi, aromatizati, vina generosa & meraca, exercitia corporis vehementiora, quibus dorsum movetur crebrius, equitatio du-

rior, decubitus in dorsum assiduus, medicamenta nimis calefacentia, operimenta lumborum ex pellibus animalium confecta.

### LXIX.

Hæc verò vitium est *alimentorum*, peccantium vel in substantia, quantitate, qualitate, tempore & ordine: vel *potuum*, maximè verò aquarum palustrium, stagnantium & residum, quæ multùm limi & cœni in se continent, velut *Hippocr. lib. de intern. affect. lib.*, item *de natur. human. & lib. 4. de morbis* præclarè hac de dissegit.

### LX.

Internâ vero quænam sit, res est plena dissensionis, & omnino controversa. *Galenus loc. suprà citato* pro causa agnoscit calorem, cumque vel remissiorem vel intensiorem. Ad Indurandum enim materiam crassam sufficere ait calorem moderatum, ad tenuem vero firmandam, fortiori opus esse calore dicit, quò in terrenum possit durescere corpus. Hunc quippe in causa esse, ut subtiliores materiei portiones exhalent, relictis crassioribus ex quibus Lapis formetur.

### LXI.

Sententiam hanc *Galeni* amplexantur tūm veteres ferè omnes, nisi quòd calori *Avicenna* addiderit debilitatem facultatis Renum expultricis, tūm Medici superioris sæculi, exceptis *Fernelio & Platero.*

### LXII.

Ille namque ut patet *l. 6. pathol. cap. 12.* calorem non prorsus rejicit, sed crebriorem atque præcipuam calculi causam existimat esse insitam quandam arenosam, calculosamque Renum dispositionem, quam, qui à Parenti-

rentibus contraxit, vix ullâ ratione Calculi tormenta posse effugere affirmat. Hocque vitii genus omnium maximè esse hæreditarium arbitratur, adeò ut non paucis unà cum Renibus ipse quoque Calculus procreetur.

## LXIII.

Hic verò à *Fernelio* nonnihil dissentit. Concedit equidem arenosam & calculosam Renum constitutio-  
nem, sed quòd hæc illa sit, à quâ proximè Calculi gene-  
rentur, est, quod ipse negat. Quapropter alias commi-  
niscitur causas: unam primariam, falsum videlicet  
acremque succum in sero latitantem, quem alij petrifi-  
cum, lapidificum atque coagulantem vocant: alteram  
verò secundariam & adjuvantem, nativam nempe Re-  
num angustiam atque siccitatem, ex quibus illa effi-  
ciat, ut materia Calculi diutiùs queat adhærere: hæc  
verò in causa sit, ut promptius siccescat, duritiemque  
lapideam acquirat.

## LXIV.

Inter tot discrepantium Authorum hac de re sen-  
tentias, quid decernendum, arduum sanè videtur atque  
difficile. Existimo autem neque *Veterum* de Calculo  
efficientem causam, nimirum calorem, prorsus rejicien-  
dum, neque etiam *Plateri* & aliorum, qui, ut paulò an-  
te ostensum, succo petrifico atque coagulanti omnem  
calculatorum generationem tribuendam esse censem,  
subscribendum, quin potiùs *Fernelij* opinionem ad ve-  
ritatem, de qua thesi 62. dictum, quam proximè acce-  
dere arbitror.

## LXV.

Si rogetur, quanam in re calculosa & arenosa illa  
Renum constitutio consistat? Respondeo eam hærere

in tribus potissimum, Intemperie, nimis et eorum calore, qui modò remissior, modò intensior; illorum nativa angustia: denique facultatis expultricis imbecillitate, ex quibus calor agendo sive in materiam phlegmaticam, crassam & mucosam, sive etiam Tartaream, illam dissipatis tenuioribus ejus portionibus, eousque indurat & exsiccat, ut lapides inde queant effingi: angustia Renum nativa in causa est ut materia propter sui crassitatem & lentorem diutiùs quam par fit, subsistat in iis; facultatis verò expultricis infirmitas efficit, ut similiiter materia moretur in renibus, quæ alioqui, utpote iis molesta, per ureteres ad vesicam debeat propelli.

## LXVI.

Etenim si calor planè nihil haberet virium, quemadmodum recentiores nonnulli statuunt, ad calculorum procreationem, sed vis omnis tribuenda succo illo lapidifico, quæ quæso causa esset indurationis laterculorum coctilium? quis modus generationis lapillorum eorum, qui in *cerebro*, *pulmonibus*, *tonsillis*, *ventriculo*, *intestinis*, *vesicula fellea* fuerunt reperti.

## LXVII.

Si quoque succus ille lapidificus, aut spiritus quidam coagulativus, sola omnium calculorum generandorum causa esset efficiens, isque aut acer, aut falsus acidusve, quo pacto illi Calculi generationis suæ capient primordia, quæ ex sanguine, bile, pituitâ, aut melancholia procreantur? quibus tamen humoribus ejusmodi spiritum esse denegatum constans Authorum est sententia.

## LXVIII.

## LXVIII.

Sed pergo ad *signa*, quæ vel sunt *diagnostica* vel *prognostica*.

## LXIX.

Illa rursus vel speciem affectū declarant; vel ostendunt, qua ratione Renum calculus ab alijs quibusdam cruciatibus, maximē verò colico dolore distinguatur.

## LXX.

Quæ speciem affectū declarant indicia, vel sunt læsæ functiones; vel mutatæ corporis qualitates: vel excreta atque retenta.

## LXXI.

Ex genere *læsarum functionum* calculum demonstrant dolor circa lumbos, qui nunc in dextrâ, nunc in sinistrâ Renum regione, prout vel dexter vel sinister Ren malè est affectus, fatigat.

## LXXII.

Deinde stupor cruris è directo affecto Reni subjecti, Cujus causa ut plurimum est compressio muscularum lumbalium quibus renes malè dispositi, calculoq; scatentes incumbunt, horum capita premunt.

## LXXIII.

Tertiò molesta atque dolorosa dorsi incurvatio, qui dolor sentitur potissimum circa lumbos, ubi renes, qui ante dolore torquentur, suum habent domicilium.

## LXXIV.

Huc accedit totius corporis pigritia & ignavia; cuius causæ partim sunt crura quæ stupent & dolent: partim vigiliæ, inediæ, dolores, atque creberimæ vomitions:

tiones: quæ omnia ita vires frangunt atque enervant, ut corpus liberè moveri nequeat.

### LXXV.

Ex genere mutarum corporis qualitatum, calculum indigitant flatus, tormina & distensiones, ad jecur usque & stomachum pertingentes, atque circa hasce partes *βορβορύμες* hoc est ventris obmurmurations & rugitus pariunt.

### LXXVI.

Denique ex albo retentorum & excretorum sunt alvi constipatio, urinæ quæ nequaquam sanorum similes, imò ingens illa ventriculi *αναρροπή*, & subversio, quæ tanta nonnunquam est in quibusdam, ut non modo illicò rejiciant, quidquid ciborum & potuum assumpserunt, sed etiam, licet nihil ventriculus in se contineat, ad vomitum tamen, & hunc præcedentem naufream, proritetur,

### LXXVII.

Fit autem alvi conspiratio varias ob causas, vigilias videlicet, dolores, inedias, quæ omnia & siccant & vires debilitant, & excrementa pauca progenerant.

### LXXVIII.

Urina à naturali statu desciscit ratione coloris, consistentiæ, quantitatis, & contentorum. *Ratione coloris*, quoniam nunc alba est, nunc cruore nonnihil perfusa. *Ratione consistentiæ*, quoniam ut plurimum in principio tenuis est & pellucida instar aquæ, in progressu verò, quando calculus è suâ sede movetur, crassa atque turbida. *Ratione quantitatis*, quoniam aut prorsus nulla apparet, quod sit, si ambo renes obstructi sint à calculo, vel pauca, vel copiosa. *Ratione Contento-*

rum, urina sabulosa est, si calculus sit resolutus, quod fit, si friabilis existat.

### LXXIX.

Ventriculi *ἀνατροπὴ* & subversio oritur ab illâ *κωνο-*  
*νίᾳ* & communione nervorum & membranarum cum ventriculo. Stat enim Anatomicorum quorundam sententia, ferri à nervis stomachicis propagines quasdam ad renes, maximè exteriorem illorum membranam: idcōq; cum ventriculo mirabilē eos habere sympathiam. Ventriculi ergo nervis atque membranis in paroxysmo nephritico vellicatis, fit, ut & ipse ad expulsionem irritetur. Id quod vomitu præstare consuevit.

### LXXX.

Quæ verò *distinctiva* signa dicuntur, illa sunt quæ docent, quâ ratione calculosa passio cum colicâ tūm conveniat, tūm ab eâdem discrepet.

### LXXXI.

Conveniunt autem inter se hī duo affectus ratione adjunctorum, quòd utrumq; affectum comitetur nausea, vomitus, dolor, & alvi constipatio.

### LXXXII.

Discrepant verò à se invicem *primò* ratione *subje-*  
*cti*, quòd in Calculo Renes, in colicâ Intestinum colum dolore torqueatur. *Deinde* quòd nephriticus dolor fixus sit & in eodem loco stabilis, colicus verò sit vagabundus, sequens ductum intestini coli. *Tertiò* quòd major sit constipatio alvi in colicâ, quam in calculo, neque etiam tantæ vomitiones in colicâ, quam in calculo Renum appareant. Accedit denique, quod longè facilius colici dolores clysteribus laxantibus & humectantibus mitescant, quam nephritici. Accidit enim

interdum, ut frigida illa pituita, tanquam colici doloris causa exturbatâ, & ipse dolor statim desinat: Nephriticus verò dolor tūm demum cessat, quando calculi in Renibus coērciti fuerint ejecti.

## LXXXIII.

*Prognostica* quod attinet, grave malum est nephritis, & acutum adeò nonnunquam, ut non modò inferre soleat vigilias, inedias, dolores acerbos, vomitiones, virium exhaustum, sed etiam interdum inflammationem ob affluxum sanguinis, & hanc excipientem febrim suis stipatam symptomatibus, quæ sāpenumero mortis solent esse causæ, maximè verò, si dolores nullis cedant remedijs, extrema corporis frigeant, sudores emanent frigidi cum virium languore, pulsationumque summâ debilitate,

## LXXXIV.

Calculus quoque quò major, asperior & acutior eò peior. Leviora verò excitat symptomata si contrario sese modo habuerit.

## LXXXV.

Bonum censetur indicium, si attestante *Hippocrate f. 6. aphor.* H. Hæmorrhoides, uti melancholicis, ita & nephriticis superveniant, proptereà, quòd per hanc vacuationis speciem illud exturbetur, quod calculi nonnunquam videtur esse causa.

## LXXXVI.

Bonum quoque est, si urinæ, quæ in principio mingebantur tenues & albæ, mox crassæ appareant, inque matulæ fundo arenosa subsideant. Indicant enim calculus solvi.

## LXXXVII.

Quin etiam pueri ex *Hippocr. sententiâ aphor.* 26. f. 3.

Vesi-

vesicali calculo, senes verò juxta Aphor. ult. sect. ejusdem renali magis infestantur, idque tūm ratione cruditatum, quas ob sellulariam otiosamque vitam plurimas colligunt: tūm etiam ratione infirmitatis facultatis expultricis, ob quam materia calculi in Renibus diutiùs moratur.

## LXXXVIII.

Renum quoq; & vesicæ vitia, sub quibus & calculi comprehenduntur, in senibus difficulter curari, idem docet Hippocr. aphor. 6. sect. 6. Causæ videntur hujus rei esse geminæ. Una jugis & assidua harum partium functio, quietem interpellans, quæ ad sanationem est maximè necessaria. Altera indesinens urinæ, quæ & propter sal, quod in se continet, & bilem quæ illi admixta, per partes hasce transitus, unde irritatur & facultas expultrix, & exasperantur inflammatio, si quæ adest, & ulcus, & quævis aliæ prædictarum partium ægritudines.

## LXXXIX.

Superest ultimum dissertationis caput, ipsa nimis CVRATIO, quæ duabus potissimum rebus absolutur: PRÆSERVATIONE nimirum futuri, & CVRATIONE præsentis Calculi.

## LC.

Præservabitur autem vel declinando causas calculum procreantes: vel, si jam sint genitæ, eas eliminando, quod fieri poterit Diætâ, Pharmaciâ, & Chirurgiâ.

## LCI.

Plurimū verò momenti ad præservandos imminentes morbos, cùm habeat bona victus ratio: ideoq; ci in primis studendum, dandaque opera, ut alimenta

D

sint

sint εὐχυμα καὶ εὐπεπτα: boni succi & facilis digestionis, neque in ijs assumendis aliquis committatur error sive in quantitate; sive in tempore; sive denique in ordine. Perniciosa namque, inquit *Fernelius*, admodum sentina est abdomen insaturabile, omnium tūm animi, tūm corporis vitiorum fons & scaturigo.

## LCII.

*Somnus* sit modicus, septem aut octo horas non excedens: sitque nocturno, non diurno tempore captus, nisi dormiendi urserit necessitas, tunc enim aliquot horis sedente tamen corpore potius, quam decumbente meridiari licebit.

## LCIII.

*Exercitia corporis* sint moderata, quotidiana & iusto tempore, nimirūm ante cibum instituta. Vitetur ex adversò otium, pigrities & ignavia. Ut enim illa calorem ob mutuum partium attritum exfuscidant, appetitum excitant, alimenti distributionem promovent, & superfluitates per corporis poros educunt, uno verbo corpus firmant; ita hæc calorem reddit inertem, cruditates multas parit, totumque corpus hebetat. Verissimum namque est illud *Galen.* 2. de sanit. tuenda, quod tutela sanitatis à labore sit auspicanda, & *Hippocr.* lib. I. de Diet. quod homo, qui bibit & comedit, sanus esse nequeat, nisi etiam laboret.

## LCIV.

*Alvus* sit quotidie aperta. Si talis nequeat esse sponte, curetur, ut talis fiat arte: quod perficitur tūm alimentis emollientibus & humectantibus, tūm laxantibus medicinis.

## LCV.

*Hæmorrhoides* quoque consuetæ, vel menses si  
sint

sint suppressi, moveantur. Plurimæ etenim superfluitates unà cum istis evacuationibus effluere solent, habentque vim & materiam ad Renes lapsuram revellendi, & eandem vacuandi. Unde *Hippocr. aphor. II. s. 6.* hæmorrhoides nephriticis supervenientes salutare dixit esse re medium.

## LCVI.

Quod si bonâ viâ ratione observatâ præservationis negotium nihil adhuc effecerit, ad præsidia ex Pharmaceutico atque Chirurgico fonte petita confugendum, opera que danda ut quidquid materiei in corpore calculorum generationi accommodatæ genitum, expellatur.

## LCVII.

Eum in finem præparatis primis tūm vijs, tūm humoribus, suâ quisque serie educendus. *Vomitus*, si nullum adfuerit prohibens, imperandus. *Sanguis* si genuinum venæctionis apparuerit indicans, detrahendus. *Diuretica* quoque & *Lithontriptica* imperanda, in quorum censu efficaces perhibentur Acidulæ, quoniam attenuant, incidunt, abstergent, penetrant, simulque Jecoris & Renum intemperiem calidiorem mitigant atque contemperant.

## LCVIII.

Materias omnium istorum præsidiorum commemo- rare minimè libet, quoniam tales ubique occurrunt: eas qui desiderat, consulat Practicos, qui de Calculi præservatione scripsierunt fusiūs.

## LCIX.

Quantum ad curationem Calculi, alia est instituenda in paroxysmo nephritico: alia extrâ paroxysmum.

## C.

In Paroxysmo eō spectandum, ut dolor, qui non  
nunquam acerbissimus, sedetur.

## CI.

Sedabitur autem tūm anodynīs propriè dictis, vī-  
delicet paregoricis: tūm impropriè talibus, ut narcoti-  
cis & sensum stupefacentibus.

## CII.

Illa ratione modi applicandi vel interna sunt: vel ex-  
terna.

## CIII.

Interna rursus vel assumuntur ore: vel in longano-  
nem injiciuntur.

## CIV.

Ore sumuntur Ol. Amygdalarum dulcium recen-  
tissimè expressum. Lac vaccinum. Butyrum recens, sa-  
lisque omnis expers.

## CV.

In Longanonem injiciuntur enemata emollientia &  
laxantia parata ex *Fol.* Malv. Alth. Parietar. *Flor.* Cha-  
mæm. Melilot. *Seminib.* Malv. Lin. Fœnogr. *Rad.* Alth.  
Lilior. albor. Hord. Integr. Uvis passis ab arillis repur-  
gatis, Ficub. omnibus vel in Lactis vel in Aqv. comm.  
f. q. dedoctis, atque colaturæ additis Cass. recens extra-  
cta pro Clysterib. *El.* lenit. de Mann. Diacathol. Bened.  
Laxativ. Melle Viol. Rosat. colat. *Vnguent.* Clysmat. *Ol.*  
lilior. albor. Chamæmel. Viol. &c. Sit verò quantitas  
ejusmodi clysterum moderata, ut diutiùs retineri que-  
ant, neque intestina ob nimiam copiam distendere, re-  
nes comprimere, adeoque dolores augere.

## CVI.

Quæ verò extrinsecus adhibentur anodyna, variis modis solent applicari, nimirum in forma Oleorum, Unguentorum, Emplastrorum, Cataplasmatum, Fomentorum humidorum, denique infessionum sive encathismatum.

## CVII.

Ex Ol. commendantur Ol. amygdal. dulc. Lin. Chamæmel. Anethin. Sesamin. Keirin. de Melilot.

## CVIII.

Ex *Unguentis* insigni vi pollent Unguent. Anodyn. Nephritic. Dialtheæ: quibus annumerari potest Unguent de gāmaris fluvia libus cum lacte, medulla panis similaginei. Ol. scorp. butyr. recenti. & aliquot ovorum albuminibus paratum, summisque laudibus à maximo superioris sæculi Medico, Iohanne Cratone decantatum.

## CIX.

*Encathismata* sive *infessus* conficiuntur communiter ex Decocto Flor. Chamæmel. Melilot. vel Raphanum dulcium.

## CX.

*Fomenta* parantur ex Decocto simplicium *thesi* 104. comniemoratorum, atque posteà, vel cum fæculis, aut spongia admoventur.

## CXI.

Si verò jam enumerata anodyna nihil profecerint, ad *narcotica* & *hypnotica* transendum, ex quibus celebrantur laudanum opiatum Paracelsi: Requies Nicotai: Philoniumque utrumque tūm Persicum, tūm Romanum.

## CXII.

Sopito mitigatoque dolore, in id incumbendum,

ut calculi & arenulæ exturbentur. Quâ de causâ diureticis & Lithonrypticis utendum, quæ tamen & in ipso paroxysmo locum habere possunt.

## CXII.

Talia autem pellunt calculos, cosque comminuant vel manifestâ, vel occultâ qualitate.

## CXIII.

Manifestâ qualitate operantur ex simplicibus, & primum *Radicibus*, Radic. omnes aperientes tūm majores, tūm minores, Radic. item Pimpinell. Saxifrag. Filipendul. Helenii. Ligustic. Rub. tinctor. Raphan. utriusque, Asclepiad. Meu. Peucedan.

Ex *Folijs & herbus*, Parietar. Linar. Herniar. Heder. terrestris, Adianth. Beton. Chærefol. Nasturtium hortense & aquaticum.

Ex *Floribus*, Flor. Fabar. Genist. Acac. Consol. regalis.

Ex *Seminibus*, Sem. Anis. Petrosel. utriusq;. Fœnicul. Urtic. Dauci, Carui, Lappæ majoris. Lithosperm. Sesel. Massiliens. Melon. Cucum. Genist. Cicer. rubr. & nigr.

Ex *Fructibus*, Fruct. Alkekeng. Spin. Christi, Bacc. Laur. Juniper. Heder. arbor. Asparag. Pruneol. sylvestr. oss. Mespilor. Nucl. Persic. & Malorum Armeniacorum, Ficus. Nucl. Pin. Avellan.

Ex *Lachrymis exsudantibus*, Gummi Prunor. & Ceras.

Ex *Resinis* Therebinthina, Resina Laricea,

Ex *Lignu* Nephriticum, Juniperinum.

## CXIV.

Ex officinalibus verò, quæ arte facta sunt, atque etiam compositis cōmendantur ex *Aquis*, Aq. Petrosel. Asparag. Chærefol. Linar. Onon. Alkekengi, Linar. Herniar. Flor. Fabar. Pimpinell. Raphan. Fragor. Equiset. Genist. Bacc. Juniper. Parietar. Nasturt. utriusq;, Saxifrag. Nephritica.

Ex

*Ex Syrupis*, Syr. è duab. & quinque Radic. aperientib.  
de Raphano *Fernelij*, Nephrocathartic. *Iouberti*, Capil-  
lor Vener. è succo Limon. Acetos. Citr. Heder. terrestr.  
oxymel Diureticum &c.

*Ex Succis*, Succus Limonum acidus, Citriorumque  
expressus.

*Ex Spiritibus*, Spir. Bacc. Juniper. Cerasor. Fragor. Anis.  
Foenicul. Therebinth. Salis & Vitrioli.

*Ex Pulveribus*, Pulv. ad Calcul. Spec. Elect. Justin. Li-  
thontrypt. El. Ducis. Cremor Tartari.

*Ex Cineribus*, Cinis Ligni Juniperin Stipit. Fabar. Ge-  
nist. Leporis combusti.

### CXVI.

Occultâ proprietate calculum pellunt arenulasque  
exturbant. *Ex Animalibus*, Pulv. Maxil. Lucij piscis, ocul.  
Cancr. Astragal. Leporis, Sanguin. Hirsin. Passer. Tro-  
glodytis, quibus annumerari quennt Cineres Lumbri-  
corum, Millepedum, Scarabæor. Cantharid. Scorpion.  
Fimus columbin. Stercus muris &c.

*Ex Fossilibus*, Lapis Spongiæ, Judaicus, Lyncis, Nephri-  
ticus.

*Ex Marinis Succinum*, Sal. corallor. & margaritarum.

### CXVII.

In horum autem usu, quæ extra paroxysmum calculi  
curam respiciunt, observandum cum primis, ut nun-  
quam adhibeantur, nisi corpus ante bene fuerit purga-  
tum. *Deinde* ne nimis sint calida, acria atque morda-  
cia. *Tertio*, ut vitetur quotidianus eorum usus. *Deni-*  
*que* ne tempore pastûs assimâtur. Sic enim usurpata vel  
virium suarum jacturam patientur, vel crudi aliquid  
cibi ad genus venosum atque etiam Renes deducent.

# PARERGA.

I.

A Renibus Ureteres ori concedimus.

II.

Bilis vesiculam felleam minimè nutrit.

III.

Morbi hæreditarii penitus exturbari aut pelli non possunt.

IV.

Vesicalis calculus medicamentis planè dis-  
solvi & conteri nequit.

V.

Cacochymiam pejorem esse Plethora pu-  
tamus.

VI.

Morbum morbo curare Medico licitum est.

F I N I S.

*SOLI DEO GLORIA.*